minatè velle merita, eaque efficaciter prędefinire, absque eo, quòd voluntatē creatam determinet ad vnum, prout tetigi numero 105; & probabo, cùm de prædefinatione agam, non sic autem ante, vel independenter à scientia media: ideò cōcedo, imò suo loco propugnabo, Deum omnes Electos ex hominibus, quos in secunda adnotatione ostendimus, quòd elegerit post peccatum Adæ, prædestinasse ad gloriam antecedenter ad pręuisa merita; imò quia efficaciter voluit illis gloriā, vt prœmium, & mercedem, ideò voluit illis efficaciter opera bona, & propter habenda hæc, voluit illis gratiam, quam per scientiam mediam prœuidit facturam, vt liberum arbitrium operetur, seu subiecturam sibi liberum arbitrium, non verò, qua prœuidit liberum arbitrium subiecturum sibi Dei gratiam, vt omnibus Assertoribus scientiæ mediæ Aduersarij attribuunt.

248 Quatuor has adnotationes, quæ, secūdùm quòd probatione indigebāt, iam probatæ manent euidenter ex Augustino; in reliquis verò doctrinam continent propugnantium scientiam mediam, si benignè curauerint Lectores memoriæ firmiter tenere, ego fideli promissione me eis deuincio luce solis clarius conspiciēdum exhibiturum, nihil prorsus adinuenire Oppugnatores scientiæ mediæ siuè in Augustino, siuè in Angelico Doctore, quod limites eorum, quæ in præfatis adnotationibus continentur, transgrediatur, & cōsequenter nihil aliud pœnitùs eosdem probare, quàm quòd prædestinatio gratiæ sit antecedens, efficax, gratuita, & determinata à Deo ad vnum, & non determinanda à nobis, in quo omnes conuenimus, & laborant litigando, vbi lis cum ipsis nō est. probabunt item ex Augustino, & Angelico, quòd Deus defacto gloriam his prę illis, post lapsum Adæ voluit antecedenter ad merita nostra prœuisa, vt absolutè futura, & propter eā opera bona, sed non ante scientiā mediā; & in hoc ferè omnes Assertores scientiæ mediæ manus ipsis damus; de cætero nūquam probabunt aliquid ex prę fatis Sanctis Doctoribus, vel alijs Patribus, quod vel leuiter aduersetur scientiæ medię. Ad obiectiones ergo, ex Augustini doctrina confectas, pro modò referendas procedo; sed ne longitudine earundem confusio aliqua gignatur plures distinctis proponam, & soluam Paragraphis. Vnde sit.

§. PRIMVS.

Quædam ex Augustino obiectio proponitur, & enodatur.

249 OBijciunt primò Aduersarij ex Augustino locum de Prædestinatione Sanctorum cap. 17. in quo ita habet, *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit.* Ex quo loco sic arguunt. Si daretur scientia media, vel ea Deus futurum conditionatè cognosceret in seipso, vt determinatè habiturum esse conditionatè: vel in volūtate creata, vt conditionatè cognita, vel in conditione gratiæ, & decreto Dei conditionatè cognito, vel tandem in suo actuali decreto absoluto, ex parte sui, & conditionato ex parte obiecti. Si hoc vltimū, iam non erit scientia media, sed scientia visionis in medio actuali, nisi litigemus de solo nomine. Si tertium, iam ergo admittitur, Deum etiam omninò antecedētèr ad voluntatem creatam determinare opus liberum, sed hoc erit cognoscere futurum conditionatè in vi consequentiæ, non in vi consequentis, & vt verè in se futurum. Secundum autem dici non potest; quia causa creata, & voluntas, vt libera, est indifferens, & non infallibiliter connexa cum opere, scientia autem Dei est infallibilis, ergo non potest suum obiectum attingere in voluntate creata. Neque tandem dici potest primum, quia, si posset futurum liberum conditionatè cognosci in seipso, multò magis posset ita cognosci futurum absolutè, sed per Augustinum non ita cognoscitur, sed in sua prędestinatione; *In qua Deus sua futura facta præsciuit*, ergo ruit ex Augustino scientia media.

250 Respondeo: Deum futurum conditionatè nullo ex tribus vltimis modis cognoscere, tamquam in medio, in quo: sed solummodo in seipso; quia videlicet verè in seipso esset, si essent, quæ requiruntur ex parte causarum. Ad probationem autem in contrarium, iam quisque videt, quòd transitum aduersarij faciunt de futuro absoluto defacto respectu hominum post lapsū originale ad futurum conditionatè; cùm defacto id nos non negemus, vt patet ex quarta adnotatione, eo quòd hoc modo non inuoluit determinationem voluntatis creatæ, si prædestinatio supponat scientiā me-